



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia  
à S.P.N. Francisco institutus**

**Pauck, Engelbert**

**Coloniae, 1720**

Num. 134. De Indulgentiis septem Ecclesiarum Urbis Romæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

**CXXXIV.** **O**mitto etiam Indulgentias septem Ecclesiarum Urbis Romæ, quæ tantæ sunt, & tot; ut illas nullus nisi solus Deus sciat; attestantibus idipsum Summis Pontificibus. Ut proinde Diva Birgitta Libro 2. Revel. C. 105. dixerit: In hac Urbe, Roma, majores sunt Indulgentiæ, quàm homines credere possunt, quas Sancti Dei glorioso suo sanguine, & precibus à Filio suo impetrare meruerunt.

**CXXXV.** **Q**uamvis etiam in Decreto Innocentiano de apocryphis Indulgentiis declaratum sit per hæc Formalia: *Semel autem duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus per agentibus lucrifieri.* Sciendum tamen, & bene observandum; Indulgentiam non plenariam posse sæpius eodem die obtineri, & etiam bis; imò pro 3. 4. & pluribus Defunctis Indulgentia plenaria concessa per modum Suffragii, & etiam aliæ Indulgentiæ; quatenus Defunctis applicabiles. Ita declaraverunt *Sixtus IV. & Leo X.* nam in revocatione Indulgentiarum (quando expressè non exprimitur, & declaratur) non revocantur Indulgentiæ, seu Suffragia pro Defunctis; nisi earum fiat mentio specialis: idèmq; dicendum est de Indulgentiis non plenariis; cum revocatio sit odiosa. Vide *Dominicum Vivam de Dispens. ad Jubilæum. Q. 6. in fine. Et in Appendice Indulg. §. 1. in fine. Antonium Natalem in suo Purgatorio. Cap. 9.* ubi dicit: Indulgentias plenarias, Romæ variis Ecclesiis concessas, esse quotidie ad minimum octo & triginta; easque per modum Suffragii applicabiles pro Defunctis: quas omnes ad unam nominatim recenset: non plenariæ verò sunt innumerabiles, eæque pariter per modum Suffragii applicabiles, & ideo *A. R. P. Diaz in Direct. 3. Ordinum pag. 40.* allegat Breve *Urbani VIII.* in Forma quæ incipit:

*Salvatoris. &c.* de 18. Januar. 1643. juxta cujus Brevis clausulas imponitur omnibus Personis, Directioni Ministri Generalis de Observantia subjectis; ut frequentationi, ac meditationi gressuum Viæ Crucis (vulgò Calvarii) devotè incumbant, Stationemque sanctissimi Sacramenti piè in dicto Exercitio recitent, & mediâ hæc commutatione diligentiarum (*Visitationis Locorum Urbis* nimirum, & civitatis Hierosolymitanæ) illas Indulgentias lucrari valeant: quæ ibi pro omnibus Fidelibus (qui dicta Loca visitaverint) concessæ, ac non revocatæ reperuntur. Pro quâ devotione Stationis, alia innovatio omnium Indulgentiarum, dictæ Stationi concessarum, adduci potest, quam *Innocentius XI.* [prout legitur in Statutis Prov. S. Petri de Alcantara Regni Neapolitani, Autoritate ipsiusmet Pontificis dispositis, & approbatis] elargiri dignatus est. Quæ sufficiant pro harum Indulgentiarum firmitate.

**CXXXVI.** **Q**uò ad Indulgentiam verò Portiunculæ plenariam, concessam à Christo Domino; ad Preces Deiparæ, pro omnibus Christi-Fidelibus; qui illam Ecclesiam S. Mariæ Angelorum visitaverint, proposito Dubio: an in eodem die bis posset lucrifieri. *Innocentius XII.* qui illam fecit quotidianam, perpetuam, ac plenariam quo super Breve videri potest apud *Matthæuccium* in Officiali Curia C. 26. responsum est die septimo Julii. 1700. *Servandum esse solitum*, adeoque non videtur comprehendendi in revocatione Decreti Innocentiani; quia in illo fit mentio de Indulgentiis plenariis, certis quibusdam diebus affixis, prout satis colligitur ex illis Formalibus Decreti *Innocentii XI. In certos dies. &c.* Nam loquendo de Indulgentiis plenariis: quæ non in certos dies concessæ sunt Ecclesiis; sed in dies singulos, ac per omne tempus; eas toties, quoties opus injunctum peragitur, acquiri posse